

tia: nam eadem est ratio, ut fatetur Covarr. supra, quia per utramque indicatur consensus principis, et in utraque potest esse materia honesta et rationabilis, ut declaratum est. Atque hanc sententiam sensit Glossa in capit. *Frustra*, dist. 8, verb. *Consuetudinem*, dicens personam ineligibilem posse consuetudine fieri eligibilem, utique abrogando legem per quam fiebat ineligibilis, ex capit. *Nos consuetudinem*, dist. 12. Idem tenet Innocent. in capit. 1 de Cognation. spirituali, in fine, loquens in materia matrimonii, et in impedimentis irritantibus, de quibus maxime solet dubitari; et illum sequitur Turrecremata in cap. *Placuit*, dist. 32, artic. 2, cum Hostiense, in Summ., tit. de Cognation. spiritual.; Gabr., in 4, d. 42, quæst. 1, artic. 3, dub. 6; et Sanci., lib. 7 de Matrim., disputat. 4, n. 4. Hoc etiam aperte supponunt doctores asserentes posse consuetudinem derogare legi danti formam et solemnitate actui, non solum accidentalem, sed etiam substantialem, jure positivo introductam. Quod tenet Roch. in dicto cap. ultim., section. 2, num. 34 et 35, ubi alia refert.

15. *Ad opposita.* — Ad alia in contrarium proposita, respondeo imprimis auctores qui sentiunt impedimenta irritantia matrimonium non posse auferri consuetudine, formaliter non esse nobis contrarios; non enim fundantur in universali principio, quod lex irritans non possit consuetudine abrogari, sed in speciali conditione talis consuetudinis in materia matrimonii, quia putant vel esse turpem, vel irrationabilem de se, vel saltem esse lege reprobata: quod in propria materia examinandum est, et in sequenti exceptione aliquid in generali dicemus. Non est autem verisimile eos sensisse omnem consuetudinem contra legem irritantem esse irrationabilem, quia nec talis consuetudo semper invenitur in jure reprobata, ut per se constat, nec ex sola rei natura id potest cum verisimilitudine cogitari, ut ostensum est.

16. *Dupliciter quis fit habilis per consuetudinem.* — Deinde addo duobus modis posse intelligi, personam inhabilem ratione legis, fieri habitam per consuetudinem. Primo, per abrogationem legis inducentis illam inhabilitatem, et hoc modo dicimus id posse fieri per consuetudinem. Nam si illa inhabilitas sit poena, sicut potest abrogari lex poenalis quoad alias poenas ipso facto impositas, ita etiam quoad hanc, quia est eadem ratio. Si vero non sit poena, sed propter aliquam indecentiam, vel

aliam justam causam sit introducta, tunc videndum est an eadem indecentia vel ratio subsistat, vel cessaverit. Nam in priori casu consuetudo esset irrationabilis, et ex ea parte inefficax; in posteriori autem casu, etiam poterit consuetudo legi derogare, et facere ne illa inhabilitas contrahatur. Secundo, potest intelligi ut persona inhabilis vel incapax fiat habilis per modum præscriptionis talis habilitatis, absque derogatione legis universalis, et hic modus videtur impossibilis; non pertinet autem ad rem de qua tractamus, quia non de præscriptione, sed de consuetudine propria et legali agimus. Et potius inde confirmatur quod supra dictum est, privatum usum singularis personæ non posse derogare legi: nam inde fit ut non possit præscribere contra prohibitionem ejus.

17. *Quo sensu vera sit sententia prædicta.* —

Et juxta hunc modum procedere potest sententia juristarum, seu axioma ultimo loco allegatum, ut patet in exemplo c. *Quando*, de Consuetud., quod ab eis adducitur. Simples enim sacerdotes nulla consuetudine acquirere possunt jus ministrandi sacramentum confessionis, quia, non obstante quacumque præscriptione vel inveterata consuetudine, lex divina id prohibens semper manet integra, nec humana consuetudo contra illam potest prævalere. Et idem est in lege positiva; nullus enim inhabilis, verbi gratia, illegitimus, potest præscribere sua consuetudine capacitatem contrariam, quia lex ecclesiastica semper manet in sua vi, posset tamen per consuetudinem communem derogari, et ita nihil obstat inductio de censuris, etc. Nam consuetudo non potest facere ut excommunicatio per solum aliquem usum sine absolute tollatur, sed potest facere ut non incuratur, derogando legi per quam inducebatur, et idem est in similibus impedimentis.

18. *Tertia exceptio.* — *Tria distinguenda.* —

Revocatio consuetudinis quid operetur. — Tertia exceptio est de lege, quæ non solum præcipit, sed etiam prohibet omnem consuetudinem contrariam, et derogat illam, non tantum præteritam, sed etiam futuram. Circa quam exceptionem oportet distinguere tria illa quæ supra numeravimus, revocare consuetudinem, prohibere consuetudinem, et reprobare consuetudinem. Certum ergo est solam revocationem consuetudinis legi humanæ additam expresse, non impedire quominus talis lex per subsequentem consuetudinem derogari possit; quia illa lex non prohibet consuetudinem fu-

turam, ut supra ostendi; ergo, non obstante revocatione præteritæ consuetudinis, potest subsequens esse honesta et rationabilis, cum nec sit prohibita, nec ex natura rei necessario sit turpis, aut omni ratione destituta, id enim gratis fingeretur; ergo poterit successu temporis præscribi, ignorante legislatore, vel ab illo sciente ita tolerari, ut voluntatem ejus tacitam ostendat; ergo poterit legem abrogare. Et ita communiter exceptio non fit de hujusmodi lege, ut constat ex supradictis, et ex his quæ tradit Covarr. lib. 3 Variar., c. 13, n. 4; et videri potest Burgos de Paz in l. 1 Tauri, 464 et 479.

19. *Prohibitio consuetudinis quem effectum habet.* — In lege autem prohibente omnem consuetudinem contrariam, etiam futuram, videtur valde probabilis hæc exceptio. Primo, quia talis consuetudo, eo ipso quod specialiter prohibetur, irrationabilis est; ergo nunquam potest præscribi, ergo nec legem abrogare. Secundo, quia alias nullum effectum haberent in tali lege, illa verba quibus etiam in futurum consuetudo prohibetur, quia actus per quos induci vel inchoari potest talis consuetudo, ex vi legis præcipientis absque illa clausula prohibiti sunt, et consequenter etiam eorum frequentia; ergo ad prohibendam consuetudinem facti non erant necessaria illa verba; ergo maxime intendunt prohibere consuetudinem juris, ne superflue posita esse censeantur: ergo aut efficaciter illam prohibent, ita ut contra legem induci non possit, et habemus intentum: aut si hanc efficaciam non habent illa verba, superflua etiam sunt, quia ratione illorum consuetudo non est magis prohibita, nec alium possunt habere morale effectum. Tertio, in consuetudine præscriptionis, eo ipso quod lex prohibet ne aliqua res præscribi possit, nulla consuetudine fieri potest ut præscribatur l. *Ubi lex*, ff. de Usucap.; ergo similiter eo ipso quod lex prohibet consuetudinem contra legem, efficaciter operatur ut contra talem legem nulla consuetudo præscribi possit aut valere.

20. Quarto, quia consuetudo non potest abrogare legem nisi ex tacito consensu principis, ut dictum est; hic vero consensus non potest præsumi, ubi ipse legislator expresse illum negat per prohibitionem futuræ consuetudinis suæ legi additam: ergo. Quinto, si princeps dicat ut lex vel privilegium non possit abrogari, nisi expresse, non poterit tacite tolli; sed hoc ipsum facit, quando prohibet omnem contrariam consuetudinem induci; ergo. Denique legislator potest irritare futuros contractus, ut

non valeant: ergo etiam poterit irritare futuram consuetudinem: sed hoc intendit, quando illam prohibet, quia alias inutilis esset prohibitio, ut argumentabamur; ergo. Atque hanc exceptionem indicat Glossa in c. 1 de Constitution. in 6; multo vero clarius Glossa in Extravag. 2 de Election. Jan. 22. Idem sentire videntur Anton. de Butr. in c. ult. de Consuet.; Anton., 1 p., tit. 16, § 6; Sylv., verb. *Consuetudo*, q. 6; Angel. n. 9, et Bald.; Bartol. in tract. de Dotib., p. 6, privil. 2, n. 18 et 19; Soto, lib. 4 de Justit., q. 7, art. 2, verb. *Hoc ergo memoriae*, etc.; et idem videtur sentire Covarr. supra, cum multis quos refert.

21. *Pura prohibitio non obstat consuetudini introducendæ.* — Nihilominus probabilius censeo, si lex sistit in pura prohibitionem futuram consuetudinis, et illam non reprobat, posse subsequentem consuetudinem introduci, quæ vim habeat abrogandi eandem legem. Ita docuit Navar. in Comment. de Spoliis, § 14, n. 8, qui id colligit ex Gloss. in Clement. ult., de Elect.; Vasq. 1. 2, disp. 177, capit. ult.; et Soto tandem cum aliqua limitatione hoc admittit; Medin., dicta q. 97, art. 3; Gutier., l. 3 Practicar. quæstion., cap. 32. Ac denique Covarr. et alii non resistunt, licet non ita distincte rem declarent. Ratio sumenda est ex supra dictis, quia, non obstante tali prohibitionem legis, potest consuetudo subsequens non esse irrationabilis, ut ostendimus; supposita vero hac conditione, facile potest adjungi altera de temporis cursu, vel usque ad præscriptionem, interveniente ignorantia principis, vel usque ad indicandum sufficienter voluntatem tacitam principis scientis et tolerantis consuetudinem, ut etiam est per se manifestum, et satis probatum ex dictis. Ergo in tali consuetudine habet locum vel decisio capitis ultimi de consuetudine, quando fuerit rationabilis et præscripta, quia nulla ratio exceptionis dari potest cum hæc etiam sit lex humana, quantumvis prohibeat futuram consuetudinem. Vel certe urget naturalis ratio, quando princeps habuerit scientiam consuetudinis, et illa indicaverit tacitam voluntatem ejus, quia illa voluntas efficax est ad revocandam priorem legem, non obstante omni prohibitionem in illa facta. Nam hæc ipsa prohibitio futuræ consuetudinis per solam voluntatem principis facta erat, et dum idem princeps vel successor ejus illam videt et tolerat, ac tacite consentit, priorem voluntatem mutat; ergo abrogat totam priorem legem. Atque hæc ratio magis confirmabitur solvendo rationes pro contraria sententia factas.

22. Ad primum, negatur antecedens. Nam aliud est consuetudinem esse irrationabilem, aliud esse prohibitam: potest enim prohiberi, etiamsi irrationabilis non sit, nec ex vi solius prohibitionis fit irrationabilis, quæ omnia supra declaravi. Ad secundum, quod est difficilius, respondeo primum effectum illius prohibitionis esse, ut talis consuetudo in dubio semper præsumatur irrationabilis, quando oppositum non constiterit, nec probatum fuerit, quia cum superior illam specialiter prohibuerit, verisimile est illam iudicasse irrationabilem, maxime quando res est dubia, ut intelligi potest ex adductis per Rochum Curtium in dicto capit. ultim., sect. 7, numero vigesimo-quarto. Alter effectus esse potest, ut gubernatores et custodes legum magis invigilent, et non permittant talem consuetudinem iterum introduci. Tertio, verisimile est subditos majori obligatione teneri ad abstinendum a tali consuetudine, propter voluntatem superioris specialiter declaratam. Quarto et maxime, potest deservire ut talis consuetudo vix aut nunquam possit derogare tali legi, nisi post longum tempus et legitimam præscriptionem, quia antea vix potest præsumi de voluntate principis, etiamsi consuetudinem sciat, vel certe multo plures circumstantiæ necessariæ erunt, et major temporis diuturnitas ad illam præsumptionem contra talem legem, propter contrariam voluntatem principis magis expresse et specificè in illa declaratam, et hoc præcipue videtur Soto voluisse.

23. Ad tertium, negatur consequentia, quia in præscriptione privata et propria nunquam præsumitur mutata voluntas principis, nec est aliquod jus in quo talis præscriptio jure prohibita possit inniti; at in præsentis semper manet integra virtus legis dantis hanc vim consuetudini rationabili et præscriptæ, et manet naturalis ratio tacitæ voluntatis principis derogantis priori. Ad quartum, negatur minor: nam, licet princeps expresse prohibuerit futuram consuetudinem, potest illam voluntatem mutare, et præterea nunquam abstulit suam vim consuetudini præscriptæ rationabili. Ad quintum, vera est major, si princeps persistat in eadem voluntate; potest autem illam mutare. Item, sicut expressa derogatio solet fieri, non obstante illa clausula, per verba quasi reflexiva, ut derogando specialiter legi: *Etiamsi talem clausulam habeat*, vel in generali: *Sub quacumque verborum forma lata sit*, ita in consuetudine tota hæc reflexio et derogatio includitur, quatenus indicat ultimum consen-

sum principis, qui contra omnem priorem potest prævalere. Deinde potest negari minor, quia non sunt æquipollentia prohibere futuram consuetudinem, et dicere ut lex non possit nisi expresse derogari. Ad sextum, negari potest hanc prohibitionem æquivalere irritationi, quia sine illa potest habere alios effectus, ut ad secundum dictum est. Quia vero aliquando illa clausula ponitur per verbum irritandi, ut patet ex dicto Extravagant. 2 de Elect., respondeo irritationem hanc semper pendere ex voluntate principis. Unde, quia consuetudo indicare tandem potest voluntatem principis contrariam, ideo potest, non obstante illa irritatione, habere suum effectum, sicut diximus legem irritantem posse consuetudine auferri.

24. *Lex reprobens consuetudinem quomodo vinci potest ab ea.* — Denique, de lege reprobande consuetudinem, dicendum est non posse per consuetudinem contrariam abrogari, nisi tanta sit in rebus facta mutatio, ut certo constet ipsam etiam consuetudinem illam conditionem mutasse. Et ita etiam hæc non est propria exceptio a regula constituta. Prima pars recepta communiter est, fere sine dissensione, ut constat ex Panorm., in cap. 2 de Probat., n. 7 et 8, cum aliis ibi; Glossa, in cap. unic. de Cleric. non resid., in 6, verb. *Improbantes*, juncto verbo *Receperit*, cum aliis ibi; Navarr., et Covar. supra cum multis aliis, quos ipsi referunt; et Tiraq. in præfation. ad Retract., n. 18 et 19. Et ratio est clara, quia illa consuetudo semper est irrationabilis, ut supra probatum est, et ideo nunquam habet conditiones positas in dicto capite ultimo, nec esse potest signum sufficiens tacitæ voluntatis principis. Secunda item pars est communis, ut ex Covar. intelligi potest, qui refert plures, et multo plures Sanc., lib. 7 de Matr., disp. 4, n. 14. Ratio autem est, quia lex non semper reprobat consuetudinem propter intrinsicam malitiam quam habet, sed propter aliquod periculum, vel quia ita tunc censetur expedire reipublicæ, vel Ecclesiæ propter aliqua incommoda vitanda. At vero, in hujusmodi rebus sæpe contingit ut consuetudo, quæ uno tempore erat rationabilis, in alio non sit: ergo idem e contrario potest contingere; ergo si id contingat in aliqua consuetudine reprobanda per legem, non obstante reprobatione, desinet esse irrationabilis, vel quia jam revera, moraliter loquendo, non est illa consuetudo de qua talis lex loquebatur, vel quia totaliter et univ-erse cessavit illa lex quoad illam partem, et

ita etiam cessavit effectus ejus; ergo jam tunc poterit illa lex abrogari tali consuetudine. Unde facile etiam probatur tertia pars assertionis, quia tunc consuetudo derogans legi semper est rationabilis, et nunquam est impotens ad hunc effectum, nisi vel quia est irrationabilis, vel quia non est legitime præscripta, nec sufficiens ad indicandam tacitam principis voluntatem; nulla ergo ibi fit exceptio.

25. Quarta exceptio ponitur a multis canonistis, ut abrogatio legis per consuetudinem præscriptam non habeat locum in sacramentalibus. Primo, ex cap. 2 de Tempor. ordin., ubi reprobat consuetudo ordinandi ad sacros ordines extra quatuor tempora. Secundo, ex capit. *Super eo*, de Cognat. spirit., ubi similes consuetudines reprobandur. Tertio, ex capit. *Quod super*, de Consanguinitat., ubi similis consuetudo rejicitur. Quarto, ex Clement. V, in Clement. ult. de Ætate et qualit., ubi confirmat consuetudinem circa ætatem præficiendorum ad ordines, quæ contra antiquos canones erat introducta, indicans, non potuisse prævalere consuetudinem illam, nisi ipse illam confirmasset. Unde in illa materia quidam volunt nullam consuetudinem valere sine lege expresse derogante priori, ut Hostiens. in Summa, titul. de Secundis nupt., n. 2, ad finem; alii volunt saltem requiri scientiam Papæ cum tacito consensu, ut Richard. in 4, dist. 42, art. 3, quæst. 2, Glossa et doctores in cap. *Vir*, de Secundis nupt., et plures alii quos Sancti. refert.

26. *Exceptio rejicitur.* — Verumtamen etiam hæc exceptio non est necessaria, quia ex dictis juribus non colligitur, et regula dicti cap. ult. generalis est, nec apparet congrua ratio faciendi exceptionem. Et ita censent multi ex auctoribus quos supra citavi, qui generaliter negant requiri scientiam principis ad hunc effectum; et in speciali Palud. 4, d. 42, q. 3, art. 1; et ibi Supplement. Gabr., q. 2, art. 2; et Sancti, referens plures, l. 2, disp. 82, n. 20; et Navar., late in Summa, cap. 22, n. 83, ubi reprehendit Rochum dicto cap. ult., sect. 4, n. 27, eo quod de hac re dubitaverit. Sed ille satis inclinatur in hanc sententiam, et bene illam confirmat; voluit tamen ab antiquioribus modestè discedere. Probat autem hanc sententiam Navar. ex eodem cap. 2 de Tempor. ordin., quod Hostiens. pro se allegat; nam illa consuetudo antiqua, antequam esset revocata per legem, valida fuisse significatur, ibi: *Nisi multitudo et antiqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis*

ordinibus ministrare, ubi Gloss. verb. *antiqua*, circa finem, id intelligit de consuetudine rationabili et præscripta, et significat excusasse a culpa etiam in illa materia. Et ita responsum est ad primum. Deinde potest confirmari hæc sententia ex cap. 1 de Cognat. spirit., ibi: *Nisi consuetudo Ecclesiæ*, et loquitur in materia sacramentali. Verum est consuetudinem, de qua ibi est sermo, non esse contra legem præcipientem, sed supra illam, vel contra permittentem. Sed certe si consuetudo potest introducere novam legem, et obligationem in materia sacramentali, non est cur non possit etiam abrogare; et ita patet responsio ad secundum et tertium; nam in illis juribus non dicitur consuetudines illas non potuisse valere propter materiam sacramentalem, sed quia vel irrationabiles judicantur, vel justis de causis reprobandur. E contrario vero ad quartum ex Clement., respondetur ibi confirmari consuetudinem, quia voluit Papa illam expresse approbare, non quia prius valida esse non potuisset contra antiquiores canones.

27. *Regula in principio cap. 18 data nullam patitur exceptionem.* — Unde tandem concludo regulam datam nullam pati exceptionem, quia, præter dictas, nullæ aliæ probabiles occurrunt nec a doctoribus afferuntur, et rationes factæ videntur eandem posse habere vim contra quæcumque aliam, si cogitetur; et ideo recte dixit Navar., cons. 1 de Major. et obed., n. 3: *Omnis consuetudo rationabilis præscripta valet contra quodcumque jus humanum.* Nam, addens *omnis* et *quodcumque*, satis significavit nullum esse locum exceptioni. Denique, quoties aliqua consuetudo, licet communis et antiqua, dicitur in jure non prævalere contra legem, semper pro ratione redditur, quia est irrationabilis, vel corruptela, etc.; ergo signum est, si antiquitatem etiam habeat sufficientem, nihil illi deesse ad derogandum legi.

28. *De extensione consuetudinis.* — Quando sit admittenda exponitur. — Tandem vero quærendum superest an regula illa aliquam extensionem vel ampliationem admittat. Sed in hoc puncto juristæ communiter, etiamsi admittant extensionem in consuetudine præter jus, quæ novum jus inducit, nihilominus de hac consuetudine legi contraria et illam abrogante, pro regula statuunt non debere extendi. Ita sentit Abbas in cap. 2 de Consuet., n. ult., cum Innocent. ibidem, et tradit late Jason. in l. *De quibus*, ff. de Legib.; et copiose Rochus supra, sect. 4, a n. 7 usque

ad 23, ubi novem limitationes ponit, quas hic expendere necesse non est. Nam (ut dixi) hæc quæstio eadem est in consuetudine quæ in lege seu statuto. Unde, sicut lex revocans aliam non extenditur per se, ac regulariter loquendo, quia talis lex odiosa, et quodammodo gravis censetur, quia correctio jurium vitanda est, ita consuetudo abrogans legem odiosa censetur, et quodammodo exorbitans, ideoque stricti juris est, et non extenditur. Nisi forte quando materia talis fuerit ut consuetudo censeatur favorabilis simpliciter; tunc enim eam extensionem admittet, quam favores admittunt, dummodo extensio non excedat terminos consuetudinis, quæ ad unguem servanda est, ut dixit Baldus in l. *Quicumque*, cap. de Servis fugit., n. 20; ideoque de hac extensione, prout a juristis tractatur, nihil amplius hic dicere necesse est.

29. *Consuetudo contra jus quem effectum habeat.* — *Resolutio.* — Potest tamen specialiter inquiri an consuetudo contra jus possit non solum illi derogare, sed etiam jus contrarium inducere. Potest enim interdum lex tolli pure negative, ita, scilicet, ut non obliget, licet actus ejus non prohibeatur, vel contrarius non præcipiatur; aliquando vero tollitur etiam contrarie, præcipiendo, scilicet, actum quem prohibebat, vel prohibendo quem præcipiebat. Et breviter dico utrumque posse fieri consuetudine legitima. Probatur, quia utrumque fieri potest per legem scriptam; ergo et per consuetudinem. Item consuetudo potest sub utraque ratione et intentione contra legem induci, et potest esse rationabilis et sufficienter præscribi. Ut tamen hæc præscriptio specialiter declaretur, potest consequenter inquiri an illi duo effectus possint simul et eodem tempore fieri, atque adeo una et eadem consuetudine, vel tantum successive. Nam quod successive fieri possint, clarissimum est; quia prius potest abrogari lex per legitimam consuetudinem, mere negative, et sola intentione tollendi talem obligationem; et postea poterit continuari consuetudo animo inducendi legem, et ita est veluti nova consuetudo; nam ex quo tempore lex fuit abrogata, jam consuetudo non est contra jus, sed præter. Unde indigebit quidem novo cursu temporis ad inducendam legem, non tamen ultra longum tempus, quod ad consuetudinem præter jus sufficere solet.

30. *Dubium.* — Difficultas vero est an simul et eodem tempore, eisdemque actibus, possit utrumque fieri. Videtur enim non posse, quia

quando lex resistit, non potest alia lex introduci, quia non possunt consensus principis expressus ac tacitus esse contrarii: ergo necesse est ut prius lex existens abrogetur, ut alia possit introduci. Unde in leg. 3, tit. 2, part. 1, dicitur non posse usum contra legem, legem inducere, nisi prius lex præexistens tollatur. Nihilominus dico posse eodem tempore eademque consuetudine legem auferri, et contrariam induci. Probatur, quia potest consuetudo utroque respectu esse rationabilis, et sub utroque fieri; ergo etiam poterit sufficienti tempore sub utraque ratione præscribi, vel significare sufficienter consensum principis tacitum de utroque effectu. Confirmatur, quia per unum actum expresse ferendi legem contrariam priori potest una auferri, et alia introduci expresse; ergo idem poterit fieri tacite; est enim eadem ratio. Neque obstat ratio in contrarium, quia ad id sufficit prioritas naturæ, ut nostro more loquamur. Verum est enim non posse consuetudinem contra legem, novam legem inducere, nisi tollatur lex contraria, sed satis est ut tollatur simul tempore, et quod nostro modo intelligendi præcedat ordine naturæ abrogatio prioris. Nam in illo gradu est simpliciter prior, quia legis ablatio est veluti necessaria dispositio ad inductionem posterioris, et non fit proxime et immediate, et quasi formaliter per introductionem novæ legis, sed per abrogationem, quæ absolute fieri posset sine nova lege. Et in hoc sensu potest illa lex partitarum sufficienter intelligi, quidquid ibi Greg. Lop. aliter sentire videatur.

CAPUT XX.

QUIBUS MODIS POSSIT CONSUETUDO MUTARI.

1. *De mutatione consuetudinis.* — *Duplex modus mutationis.* — Quamvis de mutatione legis humanæ superiori libro generatim dictum sit, et ibi dicta possint magna ex parte ad jus consuetudinis applicari, nihilominus aliqua exponere oportet quæ hujus juris propria esse videntur. Habent autem locum circa consuetudinem illi duo mutationis modi, quos supra in lege distinximus, scilicet, quasi ab intrinseco per solam privativam cessationem, vel ab extrinseco per actionem contrariam alicujus agentis. De priori modo nihil aliud dicendum occurrit, nisi, per solam mutationem materiæ, quoad ejus honestatem vel publicam utilitatem, posse consuetudinem per se ipsam absque extrinseca revocatione cessare. Quod

enim possit mutari materia consuetudinis, per se notum est, tum experientia, tum ex naturali conditione rerum humanarum. Quod vero tanta possit esse mutatio in materia ut per se cesset consuetudo, ac desinat obligare, patet, quia necesse est ut consuetudo in aliqua ratione fundata sit, et propter aliquem finem adæquatam sit introducta, quia hoc postulat essentialis ratio legis; ergo si ita res mutentur ut cesset ratio et finis consuetudinis, non solum in particulari, sed etiam in generali, desinet etiam consuetudo obligare. Imo si finis non tantum negative, sed etiam contrarie cessaret, posset oriri obligatio non servandi consuetudinem; ut, si consuetudo inciperet esse moralis occasio peccandi, vel aliter nociva communi bono reipublicæ. Idem erit si, in particulari casu, contingat ut non tantum negative cesset ratio consuetudinis, sed etiam contrarie, sicut de lege dictum est; nam eadem proportionalis ratio in consuetudine locum habet. Denique quod hoc tantum modo contingat consuetudinem per se cessare, patet, quia non pendet ex alia causa quasi conservante per actualem influxum. Nam, licet pendeat ex voluntate principis, satis est ad illius conservationem, quod a principe non revocetur; et idem est de populo, quatenus ab illo pendere potest.

2. *Revocatio consuetudinis.* — Omisso ergo illo genere mutationis, solum de revocatione consuetudinis dicendum est quæ a principe per legem seu expressam voluntatem, vel a populo per contrariam voluntatem fieri potest. Quos duos modos revocationis posuit leg. 6, tit. 2, part. 1, et sunt frequentes in jure. Et sub revocatione comprehendimus non solum integram abrogationem juris consuetudinarii, sed etiam partialem derogationem, quia eandem proportionem servant. De dispensatione autem in jure consuetudinis nihil dicere necesse est, quia vel sub revocatione partiali comprehenditur, vel si aliquo modo differt, vel pertinet ad privilegium, de quo sequenti libro dicemus, vel eadem est ratio de illa quæ de dispensatione in lege humana, de quo satis superiori libro dictum est.

3. *Lex posterior contraria revocat consuetudinem.* — Dico ergo primo: consuetudo revocatur per legem posteriorem contrariam, præcipue quando legislator illam non ignorat. Supponit hæc assertio potestatem in principe qui potest leges ferre, ad revocandam consuetudinem. Quod est manifestum in jure, cap. *Cum consuetudinis*, de Consuet., c. 1 de Const.,

in 6, l. 2, c. Quæ sit long. consuet. Nam quod ibi dicitur, non esse tantam vim consuetudinis ut legem vincat, in uno sensu, maxime verum habet de lege subsequente consuetudinem. Ratio vero est manifesta, quia consuetudo non habet vires, nisi ex voluntate saltem tacita ejus qui potest legem ferre; ergo per eandem voluntatem poterit consuetudo revocari, et vires amittere, imo et prohiberi, ac contrarium præcipi. Si enim princeps potest per posteriorem legem revocare priorem per expressam voluntatem a se factam, quomodo non poterit revocare consuetudinem, tacita voluntate sua introductam, per posteriorem legem et voluntatem expressam? In hoc ergo nulla est controversia nec dubitandi ratio, si additur: *Non obstante contraria consuetudine*, tunc maxime revocari consuetudinem, quia non potest clarius legislator suam mentem explicare.

4. *Objectio.* — *Responsio.* — Potest vero in præsentibus objici lex de Feudi cognit., ubi sic dicitur: *Legum romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt, ut usum vincant, aut mores.* Respondeo imprimis id intelligi a Glossa ibi, esse specialem in feudis, sed non reddit rationem. Cujac. ibi id intelligit de consuetudine in contradictorio judicio confirmata. At hæc etiam tollitur per legem. Alii intelligunt illam legem loqui in locis extra ditionem romanam, ubi leges Romanorum non habent vim legum, nisi quatenus a principibus acceptantur, et in illis locis dicitur præferendam illis esse consuetudinem. Sed hoc et reddit sententiam frivolum; quid enim mirum quod lex non obligans et extranea non vincat consuetudinem obligantem et propriam? Et non satisfacit, quia ibidem ait Obertus: *Judicium de feudis etiam legibus nostris contrarium dici solet.* Unde Bald. ibi ait sensum esse, causas feudales decidi consuetudine, non legibus scriptis, sive Romanorum, sive Longobardorum. Quod intelligendum puto de legibus universalibus; nam si essent propriæ leges scriptæ de feudis, ab habentibus potestatem latæ, illæ vincerent consuetudinem servando regulam datam. Sensus ergo erit in materia feudorum proprias consuetudines esse servandas, non obstantibus generalibus legibus aliter disponentibus. Vel certe intelligi possunt illa verba de consuetudine præscriptionis, in quam maxime solent feuda fundari, quia leges Romanorum non præjudicant huic consuetudini, quia non tollunt jura et dominia per consuetudinem præscriptam comparata.